

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

DEO DUCE,

INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM

Exercitatio III.

EX PARTE GENER. METAPHYSICÆ
Post Determinationem Objecti,

ENTIS DESCRIPTIONEM

exhibens.

Quam

In Celeberrima Bregelana

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI & EXCELLENTISSIMI

Dn. M. MICHAELIS EIFLERI,
Logicæ Professoris Ordinarij, & Alu-
mnorum Electoralium Inspectoris, Præcepto-
ris ac Promotoris sui ætatem colendi,

Respondens

PAULUS LOCHMANNUS
Turoceno - Ungarus,

*Publicæ ventilationi subicit, ad d. 10. April.
horis Matutinis*

REGIOMONTI,

Typis JOHANNIS REUSNERI,

Anno M. DC. XLI.

*Viro Rvno Lipni. Dno Joh. Lochmanno. Ant.
* Ecti Bosto Lipcha Lipni. ut mnd. s. Dnis
Fratri suo cariſſimo offert Frater*

19

1578

h. iii.



VIRIS

*Generosis, Strenuis & Nobilissimis, Prudentiâ, rerumq;
vario usu Spectatissimis, Patriâ Patribus
eminentissimis,*

Dn. STEPHANO ASGUTHI, D. Dubr.
Comitatus Zolien. Vice-Comiti laudatissimo
longèq; meritissimo.

Dn. STEPHANO SOOS, de Poltar. Sac.
Cæs. Reg. q; Majest. Aulae Familiar. Equitiq;
Aurato.

Dn. ERICO Höfflinger / ab Zmpolckheimb /
S. C. R. Maj. Aulae Familiari, nec non Cremn.
Schem. &c. Metallico eximio.

VIRIS JTE M

*Admodum Reverendis, Clariss. deq; Eccles. DEI
meritiss.*

Dn. JOH. PINNERIO, Ecclesiae Novisol.
Germanicae Antistiti gravissimo, utriusq; ut
& Scholae ibid. Inspectori vigilantissimo.

Dn. SAMUELI Barthosowiz / Eccles. Novis.
Slavor. Pastori meritissimo & primario.

*Dnn. Patronis, Fautorib. ac Promotorib. suis
magnis hunc studiorum Academicorum
Prodromum in debiti honoris, observantiae
& gratitudinis Symbolum*

Offere

PAULLUS LOCHMANNUS.

De ENTE, quoad Determinationem
ad Verum Objectum Metaphysicæ.

Caput I. Falsas Opiniones in Defectu
peccantes removens.

Ens quod est Objectum Metaphysicæ, non est
solus DEUS: neq; sola Substantia Separata: neq; so-
la Substantia Creata: neq; sola Substantia cõmu-
niter sumpta: neq; solum Ens Finitum, in decem
Categorias divisum.

EXPLICATIO.

§. 1. Post succinctam No-
minis, & præcipuarum penes
nomen. Distinctionum. En-
tis explicationem, superest
ut ipsam *Objecti*, Primæ Philoso-
phiæ *Determinationem* adda-
mus, prius quam Entis Tracta-
tionem Realem aggredimur;
utpotè quod in Theoreticis
omnia mensurat, uti finis in
Practicis.

§. 2. Præcognoscimus a.
quod in Speculativis *Objectum*
sit, i. vel *generale*, complectens
quicquid ad scientiam quoquò
modò spectat: vel *speciale*,
quod tanquam basis ita substat
alijs, ut ad ipsum ea per modum
vel principij, vel attributi, vel
partis aut speciei referantur; &

in se duo continet, nempe Rem
Consideratam, & Modum Cõ-
siderandi. ii. vel *directum*, quod
scientia per se contemplatur:
vel *indirectum*, quod in habitu-
dine solum ad id quod per se
tractatur, imprimis ob clario-
rem hujus notitiam obtinen-
dam, attenditur. iii. vel *ade-
quatum*, quod totam scientiæ
latitudinem sic exhaurit, ut in
hac nil inveniatur, expers ha-
bitudinis alicujus ad ipsum: vel
inadequatum, quod toti scientiæ
non coextenditur, sed solum
partem objecti totalis absolvit.
Estq; vel *attributionis*, ad quod
cæterorum cognitio ferè diri-
gitur: vel *perfectionis*, quod re-
liqua dignitate superat, quæ

H

sub

sub objecto totali cōprehēdū-
tur; vel alterius cujusdam rati-
onis. Et hīc quidem *objectum*
speciale, directum, & adequatū
constituimus.

§. 3. Ritè v. Subjecti Meta-
physicæ Determinatio partim
Falsarum Opiniorum remoti-
one, partim Veræ Sententiæ
positione peragitur: quò pri-
mūm quæ non sit, postea quæ
sit genuina basis hujus Sapien-
tiæ constet. Et quidem *Falsa-*
rum Opiniorum duplex classis oc-
currit; una *Deficiens*, quæ non-
nulla principis hujus scientiæ
finibus conclusa sic cō pede
prætereundo, nihiūm contra-
hit & coarctat; *Excedens* altera,
quæ fines ejusdem peregrino-
rum ad se raptu transgredien-
do, nihiūm abstrahit & dilatat
verum Objectū Metaphysicæ.

§. 4. In Defectu circa subje-
cti Metaphysici constitutionē
imprimis *quintuplex turba Phi-*
losophorum exorbitat. Ia. po-
nit solum *Ens Reale Supremum*,
ac Transcendens essendi no-
bilitate, quod est ipse *Deus*; quā
opinionem ex Alpharabio lib.
de Divis. scient. Albertus in-
præfat. Metaph. recenset. Iia.
statuit solum *Substantiam Imma-*
terialem, eamq; Separatam; quā

opinionem Scotus & Flandrē-
sis Averroi 1. Phys. Comm. 83.
sed perperā, uti Fonseca monet
4. Met. c. 1. q. 1. s. 1. tribuunt.
Huc referri posse videtur opi-
nio, quam Avicenna tangit in
principio Metaph. quod pri-
ma, vel *primæ rerum causa* sint
objectum hujus scientiæ. Iia.
defendit solum *Substantiam Cre-*
atam; ut ex veteribus quidam
tenuerunt. IVa. *Substantiam*
in Communi sumptam; uti Buri-
danus sensisse fertur. Va. *Ens*
Finitū, & in decem Categorias
divisum; ut existimat Fland-
rensis 1. Metaph. q. 1. remo-
vendo vel solum Deum: vel
omnem Spiritum; quod hic
compositionem prædicamen-
talem ex concursu generis &
differentiæ respuat.

§. 5. Verūm n. verò Defe-
ctum omnis hujus opinionis
evidenter arguit *Conditio sub-*
jecti, principiorum, affectionum, &
modorum contrahentium, quibus
gaudet Metaphysica. Cū
n. objectum habitui speculati-
vo commensuretur; ipsa v. sit
scientia generalissima; certè
materiam adequatè substratam
ei nullum ens particulare præ-
stabit: sed opus erit conceptu
quodam ab omnibus particu-
laribus

laribus præcisò, quò communior nullò occurrat; & cui principia prima, passiones communissimæ, modi; contrahentes omninò primi, non per aliud se prius, sed quat. ipsum est, adeo; secundum propriam essentiam, reciprocè tribuantur: nec n. ea, propter summam communitatem suam, cuiusdam particulari primò debentur. Proindeq;

§. 6. I. *Deus non est adequatum objectum Metaphysicæ.* Quippe cum rebus creatis in latiori conceptu convenit, qui proxime *Spiritus*, remotè *Substantia*, remotissimè tandem *Ens*, apex cognitionis nostræ, principii scientiarum sacer. Unde porro liquet, quòd in Metaphysicis cætera, præter Deum, non considerentur per modum *Effectus*, ad Dei cognitionem conferentis. Quicquid n. effectum est, illud creatum est, aut aliò pacto dependet à certa causa, finitâ essentiam influente. Jam in tanta generalitate pleraq; tractat Philosophia Transcendentalis, ut res increatas & creatas, independentes & dependentes, infinitas & finitas, indifferenter attingant; imò multa considerat, quæ per se

necessaria sunt ad alias res cognoscendas, præter Deum, & ad Deum intelligendū vel nihil, vel parū conducunt.

§. 7. II. *Sola Forma Separata, vel Substantia materiæ non immersa, non est adequatum objectum Metaphysicæ.* Nam in Immateriali Substantia dantur adhuc aliæ rationes universaliores, & conceptus objectivi cōmuniores, in quibus immaterialia cū materialibus quidditative cōcurrunt, & de quibus secundum adequatam rationem Prima Philosophia, ceu generalissima, necessario tractat; nempe tum *Substantia* quæ talis, unâ cum *Accidente*: tum *Ens*, ijs omnibus adhuc latius; in quo propriæ demonstrationes cōmunissimarum proprietatum per prima principia fieri possunt. Quanquam igitur Metaphysica sibi tanquam adequatum objectum vendicat *Ens abstractum à materia*; non tamen idcirco substantiam immaterialem immediatè, nedū adequatè, contemplatur. Illud n. ab hac multum differt. Nam *Ens abstractum à materia* solum in conceptu suo materiam, aut sensibilem, aut intelligibilem, non includit, attamē

ei non repugnat in materia dari: verum *Ens immateriale* ponit aliquid materiæ repugnans, & quod ipsum, aut aliquid eò contentum, in materia vel cum ea dari nullo modo possit, infert.

§. 8. III. *Sola Substantia Creatæ, vel etiam Substantia quæ talis, non est adæquatum objectum Metaphysicæ.* Datur n. conceptus objectivus Entis à Substantia præcisus, qui simul Accidens, licet secundum analogiam, intrinsecè concernit, circa quem ut sic communissima scientia versari debet. Conceptus ergò Substantiæ non æquatur Enti, sed hoc latius excedit, principijs & attributis instructum ei primò competentibus; ut ut ad inferiora descendendo, substantiæ primariò debeantur, tanquam analogato præstantiori; siquidem Accidens dependenter à Substantia rationem Entis, & ea quæ consequuntur ad Ens, habet. Unde suâ sponte sequitur, quod Accidens in Metaphysica non consideretur ut adæquatum attributum aut proprietas Substantiæ. Non n. de substantia quæ tali demonstratur accidens, ut adæquata passio, cum detur in particula-

ri substantia, quæ nullum accidens sustinere potest: sed potius unâ cum substantia partis subjectivæ rationem habet illius objecti, de quo communiore affectiones, quàm quidem Accidens est, immediatè verificantur.

§. 9. IV. *Solum Ens Finitum, divisum in decem prædicamenta, non est adæquatum objectum Metaphysicæ.* Licet n. Deus excludatur à Categorijs, tamen ex censu particularium entium haud excluditur. Et *Intelligentiæ*, licet compositionem Physicam respuant, tamen idcirco non prohibentur à prædicamentis, multò minus ab inferiorum entis ordine. Nec etiam quicquam interest ad objectum scientiæ constituendum, aut aliquid sub eo comprehendendum, ut res sit, vel non sit, in Categorijs. Et hinc ulterius facile patet, quod Deus & *Intelligentiæ* non solum considerentur ut extrinsecum principium & causa prima subjecti Primæ Philosophiæ. Sunt n. objectum aliquò modò naturaliter scibile: quod tamen Metaphysica tantum penes communem essendi rationem de jure cognoscit, & secundum immedi-

immediatā rationē suam, quā entibus in particulari, Pneumaticæ dimittit.
proximè discriminatur ab aliis

Cap. II. Falsas Opiniones in Excessu peccantes removens.

Ens quod est objectum Metaphysicæ, non subest Intelligibili, tanquam objectum inadæquatum: nec ut objectum adæquatum includit vel Ens Rationis, & Ens per Accidens: vel tantum Ens per Accidens: vel quodvis Ens in Particulari, secundum propriam rationem: vel Substantiam Immaterialem, in adæquato conceptu.

EXPLICATIO.

§. 1. In Excessu circa Subjecti Metaphysici constitutionem, itidem quintuplex aberratio potissimum notatur. I. Timplerus l. 1. c. 2. Metaph. ponit generalissimum objectum Intelligibile; quod immediatè Nihil & Aliquid; hoc Positivum & Negativum; Positivum tandem Essentiam, & Ens comprehendat. II. Zanardus r. Metaph. q. 1. sumit Ens in tanta latitudine, quā simul Ens Rationis, & Ens per Accidens includit. III. Alij statuunt Ens in ea latitudine, quā Rationis Ente remotò, cōtinet Ens per Accidens. IV. Ægidius v. Met. q. 2. tuetur Ens, quod ad omnem essendi gradum specialem

in propria ratione spectatum descendit. V. Svarez Disp. 1. Met. f. 1. n. 24. alijq; communiter acceptant Ens à materia secundum rem & rationem abstractum, quod Entitatem indeterminatam, & determinatam rerum separatarum, circumscribat.

§. 2. Sed Excessum in his omnibus atq; singulis facile deprehendimus. Nam I. Intelligibile non tam objectum Metaphysicæ, quàm modum objecti subinnuit. Non n. est intelligibile nisi solum Ens, quat. verum est. Hinc intelligibile posterius est Ente, cum naturâ, tum cognitione. Metaphysica verò requirit objectum primò

H

}

primò

primò cognitum. Nec intelligibile genus est ad *Nihil* & *Aliquid*: sunt n. hæc contradictoria; quæ non dividunt, sed se tollunt. In oppositione verò specierum sub uno genere debent duæ pluresvè species poni, non una totaliter alteram evertere. Neq; potest *Nihil* ab intellectu cognosci, vel à priori; quia caret essentiâ: vel à posteriori; quia destituitur affectionibus, & operationibus, ob defectum essentiæ. Propterea Thomas 1.2. q. 25. a. 3. id quod non est, ab intellectu comprehendere nequit. Quat. a. quod non est similitudine quâdam & rerum verarum imagine concipitur, fit per accidens intelligibile, nec amplius habet rationem *Nihil*, sed sub aliquo Entis habitu venit; & sic non ratione sui, sed alterius, aliquo modo percipitur. Quod verò per se non est cognoscibile, sed per aliud, id etiam per se non parit scientiam, & ita neq; totum objectum, neq; partem ejus facit, sed potius per oppositum à scientia removeretur & excluditur. Insuper nec *Positivum* & *Negativum* in aliqua communi ratione conspirant; illud n. infert, hoc

aufert Esse. Tandem *Ens*, quod Objectum Metaphysicæ constituit, ad Essentiam æquipollet, propter simplicissimum illius conceptum: eiq; perperam ut conspecies opponitur, cum rationem formalem in entibus concretis absolvat; oppositæ verò species nunquam ita congregiuntur, ut una formaliter aliam componat. Conferatur Jac. Martini 1. 1. Part. Met. s. 1. q. 8. seqq. & 1. 1. Exerc. 3. th. 2.

§. 3. II. Certum est, quod Objectum cujusq; scientiæ debeat *Unum esse, respectu materialis, & formalis sui*. Neutiquam a. unum conceptum Objectivum *Ens* parit, quod ad Reale, Positivum, Rationis, per Accidens, & Negativum extenditur. Nā *Ens Reale Positivum* est quod habet essentiâ: *Ens Rationis* a. essentiâ non habet, sed habere tantum fingitur. *Ens per Accidens* v. non habet essentiâ, sed essentiâs, indeq; non est *Ens*, sed *Entia*. Tandem *Ens Negativum*, essentiâ removet, non habet. Unde manifestum est, quod in Ente tantum æquivocè conveniant, & per analogiam proportionis. Æquivoca verò multitudinem inferunt

runt diversæ quidditatis, unò nomine significatam. Atq; sic Ens ad farraginem, adeò difformem traductum, debitam *unitatem materialem* respuit.

§. 4. Deinde *Modus considerandi* proprius Objecto Metaphysicæ necessariò *generalis* est, propter generalitatem, quam ipsa præ cæteris disciplinis habet, utpote quæ cognoscit Ens quatenus est, adeoq; secundum

ipsam essendi rationem, quam omnes res determinatæ quidditatis communem habent, & prout Ens secundum hanc entitativam rationem abstractum cum particularibus non permiscetur. Quamobrem ei vel ad *quamvis particularem essendi rationem*, quâ talem, vel saltem ad *substantias immateriales*, secundum propriam naturam ex instituto cognoscendas, evagari non conceditur.

Cap. III Veram Sententiam exponens.

Ens quod adæquatum objectum est Philosophiæ Transcendentalis, est Ens Reale, Positivum, Per se, præcisum à rebus Increatis & Creatis, Substantiis & Accidentibus.

EXPLICATIO.

§. 1. Atq; sic Ens tam in DEO, cæterisq; substantiis immaterialibus, quam in rebus naturalibus, tam in subsistentibus, quam in existentibus inclusum, prout præcisè penes communissimam rationem entitativam spectatur, Objectum huic scientiæ suppeditat. Ejus n. quâ talis attributa, si non re, saltem ratione distincta, per adæquata principia demonstrat, modosq; contrahentes, & qua-

si differentias expressiorem entitatem ponentes, inquirit. Inde q; fit, ut Objectum Metaphysicæ non sit vel Creator, vel Creatura, vel Substantia, vel Accidens, sed quidditas ab his omnibus præcisa, quam omnes atq; singulæ res determinatæ naturæ, tanquam sui radicem, essentialiter includunt; non quidem æquè primò, sed per aliquam dependentiam ab invicem, quippe creatura non datur,

datur, nisi pendeat à DEO, nec accidens, nisi prius detur substantia, quam extrinsecè modificat.

§. 2. Hoc igitur Objectum quasi basis est omnium reliquorum quæ traduntur in Metaphysica, cuiq; primò primæ maximèq; generales affectiones, omnibus rebus in particulari competentes, insunt. Estq; prius DEO, non naturâ, vel causâ, vel independentiâ, vel subsistentiâ, siquidem omnis ratio, quantumvis abstrahatur ut communis DEO cum creaturis, ita comparatur ad DEum, ut existere non possit, nisi vel in ipsomet DEO, vel dependenter à DEO: sed secundum rationem, abstractionem, & considerationem intellectûs, præscindentis à DEO rebusq; creatis id, in quo convenire deprehenduntur: nec n. repugnat DEum ut cognitum naturaliter per creaturas, verè cum illis in aliqua ratione cõmuni concurrere, licet in esse suo magis distet à creatura qualibet, quàm ipsæ quidem inter se disconveniunt.

§. 3. Ex quibus porrò manifestum est, quòd hoc Objectum non cum ipsa Metaphy-

sica cœperit, ut quidam calumniatur, sed multò prius extiterit, partim in DEO, rebusq; divinis, partim in iis quæ sub DEO sunt, in quantum ab istis essentialiter includitur. Et hoc non sunt tantum *entia completa*, nec tantum *incompleta*, quæ resolutionem in plures conceptus reales admittunt: sed etiam omnes *differentiæ positive*, quæcunq; sint, & unde petatur, nempe vel à tota forma, vel ab ultima realitate formæ, vel à forma secundum aliquem communem & superiorem gradum ejus; itemq; *modi reales ac positivi*. Summâ, Rationem Entis, si Physicè loquamur, deprehendimus in omnibus substantiis, & in omnibus partibus earum, & in omnibus accidentibus, & in modis positivis ac realibus: sin Metaphysicè; in omnibus generibus, & speciebus, & individuis, & differentiis: præter quæ nihil est in rebus, ut eruditè contra Scotum pro Thomistis differit Svarez D. 2. l. 5.

§. 4. An a. hoc Ens etiam ad ea quæ potestate sunt, extendatur, disceptari solet. Putantque multi, quod Ens ad id quod actu datur, & quod nondum

dum existit, traductum, immediate duplicem significationem habeat, & ad æquivocationem degeneret, secundum quandam translationem in aliqua proportionalitate fundatam. Suarez autem D. 31. s. 2. n. 1. differit, quod in rebus creatis ens in actu, & ens in potentia, formaliter distinguantur tanquam ens & non ens; ita tamen, ut juxta n. 10. cum non sit ab intellectu confictum, sed ens re vera possibile, capax existentia realis, non sit ens rationis, sed aliquo modo sub ente reali comprehendatur: & quod essentia creaturæ nondum producta, sit aliquo modo essentia realis: quodque conceptus entis non solum contineat id quod est actu, verum etiam id quod aptum est esse. Si verò consideretur *ut ens actu*, sic non esse considerandum in se, sed in suâ causâ: vel si consideretur in se, non esse ens reale, sed rationis. Hujus vestigia quodammodo secuti sentimus, Ens quod est Objectum Metaphysicæ, non simpliciter ad *Ens Existens* æquipollere, verum ab hoc & ab ente potentia præcisum, per analogiam

attributionis, essentialiter utriusque tribui; quoniam Ens in Potentia Definitionem Entis non omnino respuit, non n. removet, sed ponit esse, licet tale quod non actu, sed potestate datur: & *indiciis Essentia Realis* haut desistitur; nam & *Definitionem Essentialem*, & *Proprietates*, & *Operationes*, & *Aptitudinem*, aut non-repugnantiam, *ad existendum*, admittit: quibus alias in notitiam Essentia Realis provehimur, uti mox dicetur. Omnes etiam affectiones Entis, cum unitæ, cum disjunctæ, nec non modi contrahentes, ei verè, licet secundario, sub debita proportione, conveniunt; id quod alibi diducetur.

§. 5. Tandem existimamus etiam Opiniones Falsas, tam Excedentes, quam Deficientes, aliquo modo cum genuina sententia conciliari posse, si non ex Autorum mente, saltem ex rei veritate; præsuppositâ Disciplinæ Subjecti varietate. Nam, *Opiniones Defectu peccantes* intelligunt *subjectum vel perfectionum*, uti sunt DEUS, & Intelligentia; vel *attributionis*, ejusque *notiorum*, si ve *quoad nos*, ut Substantia Cre-
I
ata

ata, sive simpliciter & secundum se, ut Substantia quæ sic; vel demonstrationis famosa. per veras causas, ut Ens Finitum, & Prædicamentale. Sed Excessu prævaricantes volunt subjectum laxè dictum, tam generale, quàm speciale, tam indirectum, quàm directum, tam genuinum, quàm adscititium, involvens. Etenim Intelligibile, cum iis quæ sub illo dari putantur, spectant ad

subjectum partim generale, partim indirectum. Ens Rationis, & Ens per Accidens, itidem ad Ens Indirectum. Deus aliq; Spiritus, subreptitiè tantum & adscititiè Metaphysicam agnoscunt. Deniq; gradus omnes essendi distributivè solùm ad Primam Philosophiã spectant. Pluribus hanc materiam de Subjecto Metaphysicæ persequitur Syarez D. I. s. I.

SECTIO POSTERIOR.

ENTIS PRAGMATOLOGIAM exhibens.

Simplex Entis Theoria Realis est vel Consentanea, quoad Descriptionem, & Conceptum; vel Dissentanea, quoad Oppositum.

EXPLICATIO.

Ubi jam ex nominali consideratione verum objectum Metaphysicæ determinatum est, ipsam Essendi Rationem intimiùs contemplabimur, & quid præcisum esse rerum sit, inquiramus. Quemadmodum a. res in particulari tum secundum se considerantur, tum ex oppositis illustrantur, sic & ipsa Ratio Quiditativa summè

præcisa spectari potest partim in se, prout aliquali Descriptione notificatur, & proprio Conceptu sistitur intellectui; partim in oppositione, perpendendo Non-Ens, ceu contradictorium, ut ita quod quiderat esse commune rerum omnium, distinctis adminiculis percipiamus, quantum imbecillitas nostra permittit.

MEMBRUM I.

De ENTE quoad Definitionem.

Cap.

Cap. I. De Descriptione ENTIS in Genere.

Ens non potest definiri; sed tantum aliquo modo describi.

EXPLICATIO.

§. 1. Nam omnis vera Definitio requirit Genus & Differentiam, aut aliquid his affine, quibus Definitum, ceu distinctis conceptibus quidditativis, explicetur. Ens a. non agnoscit supra se Genus, aut saltem aliquid huic analogum; eò quia primum est ex primis, & conceptum animi fastigium, ac summum in rerum natura, sicq; prædicatum communissimum, & plus quam genus generalissimum; ex quo cætera componuntur, & in quod ultimò resolvuntur. Quare nec Differentiam Ens admittet. Hæc n. Definitio naturam latiore generis æquare debet. Inde q; semutud cum genere ponit & tollit.

§. 2. Turpiter ergò labitur, ac ineptit Timplerus l. 1. Met. c. 3. q. 1. fingens Enti genus remotum Intelligibile, propinquum Aliquid, proximum Aliquid Positivum, quod immediatè contineat Essentiam & Ens. Nam

I. in genere: si genus Entis admiseris, admittes necessario compositionem Entis ex aliquo quod potentiam præ se fert, & quod instar actûs hanc potentiam limitat. Atq; sic ens simplicissimum excludetur ab objecto Metaphysicæ; nec in simplex & compositum illud commodè dividetur. Imò daretur aliquid in Ente, quod non esset vel Intelligibile, vel Aliquid, vel Aliquid Positivum; siquidem de nulla differentia prædicatur genus speciei, juxta Porphyrium in Isag. c. 7. §. 5. Adde, quod nullum Transcendens perfectam Definitionem admittat; cum nullum sit prædicamentum, per quod ipsum non vagetur. Genus a. & Differentia desumuntur ex certa Categoria.

§. 3. II. In specie; 1. Intelligibile non concernit Ens quidditative, sed denominative, per modum affectionis. Sed affectio non potest esse genus
subjecti

subjecti, per Aristotelem 4. Top. 6. §. 3. concernit n. illud extraneè. Genus a. essentialiter inest, ut materia logica. II. *Aliquid* equalè ambitū habet cum Ente, sive generalem, sive specialè utriusq; potestaté atēdis: aut etiam Ente strictius est, si tanqvā Aliud Quid dictū, diversitatem importat. Genus v. non est æquale speciei; nec eā strictius: sed latius. III. *Aliquid Positivum* non potest ad Essentiam & Ens genus esse. Nam Essentia respicit Ens quāsi forma, per quam est id quod est; saltem si terminos in se spectas, & respectu creaturarum: Nam ex usu transcendentali planè coincidunt. Forma verò non potest esse conspecies formato, quippe species se mutuo non constituunt; & ab invicem separari possunt. Ens autem & Essentia separari nequeunt, siquidem, si distinguuntur, unum alterius definitionem ingreditur; ut ipse Timplerus fatetur. Confer Christ. Matth. Disp. 1. q. 7. & Disp. 7. q. 3.

§. 4. Cū igitur Ens nihil prius, aut simplicius habeat *ex parte rei*, quod sit fundamen-

tum latioris conceptus quid. ditativi; quia conceptus est generalissimus, & simplicissimus, primò competens omnibus quæ sunt extra nihil; nec æquale constituens, in quo differentia fundetur; secus n. non esset communissimam & summum, sed ab utroq; ceu coæquali, posset aliud iis generalius abstrahi: sequitur utiq; quod etiam compositionem generis & differentia respuat; & sic perfectæ definitionis incapax sit. Interea quodammodo *describi* potest; & quidem dupliciter; i. quāt. ut *totum potentiale* consideratur, secundum communem essendi rationem, quam omnia, quæ sub ente sunt, intrinsecè participant, adeoq; prout Ens sese suis inferioribus essentialiter communicat, & *in natura* ponitur: 2. quāt. ut *totum actuale* spectatur, & uti præcisum est ab inferioribus, in quibus radicatur; adeoq; per ordinem *ad intellectum* nostrum, & secundum proprium conceptum quem habet in quantum est objectum primæ Philosophiæ.

Cap.

Cap. II. De Descriptione ENTIS

qvāt. ut Totum Potentiale participatum ab inferioribus, ea communi notione sistit.

Ens est quod habet essentiam.

EXPLICATIO.

§. 1. Inprimis geminam descriptionem Ens ferre diximus; unam qvat. ipsum essentialē habitudinem involvit ad inferiora, quibus sese communicat: alteram, in quantum ab iisdem præcisum, sub relatione mentis, in abstractissima ratione, sibi propriā, repræsentatur. Priorem dedimus ex Thoma; cui quidam addunt: *aptum ad realiter existendum*. Ejus a. singula verba declarabimus, ut integer sensus inde pateat. Et quidem I. particula *QVOD*, non importat hinc aliquam concretionem, sed meram relationem ad Essentiam, tanquam id quod ad Ens simpliciter identificatur ac æquipollet. Ens n. ut est objectum Metaphysicæ, simplicissimam & abstractissimam entitatem notat, quia simplicissimum particulare, nempe DEum, involvit.

§. 2. II. Verbum *HABERE*, non importat aliquam differentiam inter habens & habi-

tum, adeoq; discrimen inter Ens & Essentiam: sed loquendi necessitas illud extorsit, & intellectus nostri conditio, qui propter imbecillitatem suam, etiam simplicissimum apprehendit ad modum compositi. Sicut igitur hæc tota ratio significandi concretiva pendet ab intellectu nostro, tam effectivè, quam objectivè: ita quoque terminatur in ipso, nec ullo modo refunditur in ipsum Ens, extra se positum. Quamobrem ex parte rei simplex indentitas Entis & Essentiæ per hoc verbum insinuatur: quæ admodum DEus naturam infinitam, immortalitatem, omniscientiam habere dicitur, citra quamcunq; compositionem, aut distinctionem, ex parte sui. Parum etiam ea loquendi durities mitigatur, si dicis: *Ens est cui convenit essentia*. Nam & hæc verba de se reale discrimen importare videntur.

§. 3.

§. 3. III. ESSENTIAM HABERE declarari potest tum positivè, tum negativè. *Positivè* quidem potissimum tripliciter. (1.) *per ordinem ad Affectionem*. Et sic essentiam habere dicitur id cui verè conveniunt attributa positiva; quippe quæ requirunt aliquid quod afficiant, & quod ipsa sustentet. (2.) *per ordinem ad Operationem*. Et sic essentiam habere dicitur quod causaliter influit in aliud; nec n. vel fingere possumus aliquid verè causari, quod essentia destituitur. Hinc aliàs Essentia describitur, quod sit primum & radicale principium omnium operationum. Dico, 1. *radicale*; propter accidentia, quæ respectu substantiæ creatæ sunt operandi principium instrumentale. 2. *operationum*; consideratarum non tantum penes causalitatem efficientis, sed quantum ad influxum cujusvis causæ; tam internæ, quàm externæ. (3.) *per ordinem ad Definitionem*. Et sic essentiam habere dicitur quicquid definiri potest; aut saltem describi. Quippe definitio nil aliud est quàm expositio quidditatis, per distinctos conceptus; quorum alter quasi materialis & determi-

nabilis est, alter quasi formalis & determinans. *Negativè* verò, proindeq; *per ordinem ad Infirmitatem*, Essentiam habere dicitur, quod non involvit Repugnantiam ut sit, aut existat. Et huc collimant verba quæ quidam addunt; aptum ad realiter existendum. Taliq; respectu definiunt Ens Hurtadus & Arriaga; quod non repugnat existere. Cæterum hæc ad existendum aptitudo, vel non-repugnantia non excludit simpliciter existentiam; nam quæ sunt actu, potissimas essendi partes habent: sed solum innuit, Ens ut est objectum Metaphysicæ, præcisum ab existentia, vi nominis, & non vi participii, venire.

§. 4. Quamquam a hæc descriptio videatur idem per idem declarare, tamen oportet nos eam contentos esse, cum aliter vix possimus abstractam essendi rationem explicare. Neq; concernit ea potius *Ens individuatam*, quàm *Ens summe præcisum*; uti quidam existimat. Nam quæcunq; rationem entis habent, in hac q. formalitate communicant, quod essentiam habeant. Proindequæ nil obstat, quod hæc descriptio

ptio cuiusvis Enti particulari cō-
veniat; potius id infallibile

signum est, ipsam Enti quā sic
primò convenire.

Cap. III. De Descriptione ENTIS, in quantum ut Totum Actuale, sub relatione mentis nostræ, conceptus ejus abstractissi- mus secundum se spectatur.

Ens est generalissimum illud, quod ab intelle-
ctu nostro tanquam notissimum primò concipi-
tur.

EXPLICATIO.

§. 1. Hanc descriptionem
passim Metaphysici tradunt,
eāq; notificatur Ens prout ab
inferioribus præcisum objici-
tur intellectui, tanquam subje-
ctum Philosophiæ Transcenden-
talis. Ac in ea quidem *Con-
ceptus Quiditativus* (1.) *latior* &
communis est *summa generali-
tas*; dum dicitur esse Genera-
lissimum. Hæc ergò rationem
Entis materialem absolvit, in
quā cum aliis Transcendenti-
bus, prout intellectus noster in
advertentiam eorundem in-
clinat, convenit: nam & ea
sub ordine generalissimorum
continentur, omnibusq; par-
ticularibus insunt. (2.) *ade-
qvatus* & proprius, est *prima
cognoscibilitas*; quando dicitur,

quod ab intellectu nostro tan-
quam notissimum primò con-
cipiatur. Et hæc est Entis ratio
q. formalis, per quam in relati-
one mentis ad ipsum constitui-
tur, & quæ cum ipso sic con-
vertitur, ut simul aliis Tran-
scendentibus non conveniat:
ea namq; licet sint communis-
sima, tamen non sunt primò
cognita, sed apprehenduntur
à nobis, ut aliquid Ens circum-
stans, eòq; posterius. Et ita
significatur his verbis, nos na-
turæ ductu prius scire rem ali-
quam Ens esse, quā vel Sub-
stantiam, aut Accidens, vel Spi-
ritum aut Corpus, vel Quanti-
tatem, Qualitatem, aut quid-
piam aliud in particulari. Pri-
us etiam Essendi Rationem in
se con-

se consideratam intellectui fiksi, quam unitatem, veritatem, bonitatem, & id est genus.

§. 2. Constat hinc porrò, quòd *Primo - Cognitum* minùs rectè statuatur, aut *Infima Species*, uti Scotus vult; aut *Singulare*, vel *Individuum*, ut Ockam existimat: sed *Ens* primò cognoscitur; attendendo cognitionem originalem, actualem, ac confusam, & quidem prout *Ens* singularisatum est: non habitualem, potentialè, ac distinctam, & ut *Ens* ab individuis præcisum, in se spectatur. Ad cuius pleniorè intellectum advertes, I. varium *Cognitionis gradum*; dicitur n. *Cognitio* (1.) *Originalis*, apprehensio prima cuiusq; rei, quam antea nunquam novimus: *habitualis*, notitia rei jam prius cognitæ, menti per modum habitus inexistentis, aut ex habitu præexistente saltem elicita. (2.) *Potentialis*, ubi species intelligibilis in animo quidem existit, hic tamen illud quod ipsa repræsentat nondum intelligit, sed solum per eam ad intelligendum est in proxima potentia: *actualis*, quæ mens actu per speciem aliquid cognoscit. (3.) *Confusa*, quæ tan-

tum quid nominis attingitur; aut si res ipsa, superficialis ejusdem notitia, præsertim ex accidentibus, habetur: *distincta*, quæ quid determinatè secundum omnes suas essentiâles partes aut gradus perspicitur. II. geminum *Entis statum*; quòd repræsentatur intellectui, vel ut *præcisum* à singularibus: vel ut *exhibitum* in singularibus, & cum individuis concretum.

§. 3. Sensus igitur est; quod res quælibet singularis ad cognoscendū oblata, si nunquam adhuc cognita fuerit, primò primum se sistat intellectui nostro sub *Entis* ratione, quæ tanquam Aliquid apprehenditur. Et hoc patet; quicquid n. facilioris abstractionis est, illud etiam prius est cognitione. Sed *Ens*, prout insinuatur hòc aut illò singulari, facilioris abstractionis esse, vel pueri norūt, & omnes idiotæ; quibus quicquid ut incognitum offertur, *Ens* audit, *est ein Ding*. Neq; tamè hi propterea communissimam essendi rationem comprehendunt. Nec n. qui confuse novit aliquid *Ens* esse, quidditativâ Essendi Rationē propterea percipit: verum hæc ulterius persequi non intendimus.

Ad Ornatissimum Dn. Respondentem.

E Sophiæ penita **TRANSNATURALIS** abyfso
SUBJECTUM ejusdem quod **GENU** Segregio
Eruit **EIFLERI** celeberrima cura subacti
Ingenii nisu, **PAULE**, tueris? eris
Doctior his studiis & acutior usq; modò insta
Cæptis, & Sophiæ succum animamq; feres
Contemplatricis: quin qui nunc Tyro videris
Hac in militia, mox Veteranus eris.

M. Matthæus Reimerus Græc. Liter. P. P.

Q Vid mihi cum tricis Transcendentalibus? inquit.
Fortè supercilium, nil nisi pingve probans.
Ut tua sint, fateor non sunt de pane lucrando
Nostra, sed ingenii, censor inepte, dapes;
Lautitiæq; **D I I S** dignæ, divisq; Camænis,
Atq; his quos Phæbi nobilitavit honos,
Quos Divinarum rerum pia cura fatigat,
Non gula, non aurum, non pretiosa domus.
O Te felicem, quem mi **LOCHMANNE** Minerva
Prætulit his umbris, quisquiliisq; soli.
Non **T E** destituet tandem Sapientia Prima,
Cùm Patriam repetes lætus honore novo.

M. Michael Eislerus, P. P.

E ST aliis cordi potatio, Marsq; cruentus,
Hunc juvat alma Venus.
Talia Tu spernis, studiis **LOCHMANNE** laboras
Invigilare sacris.
Ausis ecce Tuis geminis applaudo lacertis,
Ex animoque precor:
Ut Tibi concedant optatam attingere metam
Numina sancta Poli!

φιλίας καὶ μνημοσύνης ἕνεκα ἐχέδραζε

M. Matthæus Rackschanus

Tyrocano - Ungarus.

Tolle moras, L O C H M A N N E , cito pete pulpita cursu,
Cursor iners risum, præmia promptus habet.
Te studium solers commendat, Doctus Apollo
Quod cupis, hinc largâ conferet ecce manu!
Non est dentati cur cures fulmina Momi,
Et tortum dubiis, P A U L E , sophisma plicis,
Anxia cura vale! dic; vires conferet ipse,
Mutua quæis possis reddere dicta, D E U S.

Paulus Kysß S. S. Theol. Studios.

Vere lacertosi spectantes arva coloni
Florida, num messis larga futura, sciunt.
Et quæ mandârunt sinuosis semina sulcis,
Fertilis an multò fœnore reddet ager:
Tu quoq; sic primo nunc tempore veris, Amice,
Ostendis studii semina sparsa Tui.
Gratulor, herba virens hæc plenas ut det aristas,
Det precor! & Patrio commoda multa solo.

*Dn. Respondenti, Amico suo dilecto
gratulab. adjecit*

Adamus Kys Sarvarino - Ung.
Philosoph, Stud.

Auguror! ut croceum vernat nunc Flora per aruum
Germine, spem fructus uberioris habens.
Sic cum, doctrinâ, studio &, vernare videris,
Promittis Patriæ commoda multa tua.
Et ceu Flora suos hilares facit esse colonos,
Sic hilarem Patriam reddis, Amice, tuam.

*Præstantis Dn. Respondenti, Amico & Commensali
suo honorando apposuit.*

Samuel Czernack Ung.

Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V3 17







Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DUCE,

PHILOSOPHICARUM

tio III.

METAPHYSICÆ

onem Objecti,

RIPTIONEM

ens.

a Bregelana

ESIDIO

EXCELLENTISSIMI

ELIS EIFLERI,

Ordinarij, & Alu-

nspectoris, Præcepto-

i ætatem colendi,

dens

CHMANNUS

Ungarus,

bjicit, ad d. 10. April.

ucinis

CONTI,

S REUSNERI,

C. XLI.

*Dr. Joh. Leubmanno Antiq. /
an. Sime offert Frater*

19

1578